



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

Insoliti cibi non sunt quærendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

veræ sapientiæ percipiendæ: quod impediunt multum delicia. Iob. 29. Sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium. Pulchrè dicitur apud Græcos. Pinguis venter non gignit sensum tenuem. Seneca: Copia ciborum subtilitas intellectus impeditur; Abstinentia verò à deliciis valet ad intelligentiam. Daniel. 1. Pueri qui cibos regios contempserunt, grossis cibis contenti, intelligentiores cæteris inuenti sunt. Delicia ergo viro religioso non congruunt.

Epist. 15. partium à prim.

Quinta pars huius capituli, quod non sunt quærendi cibi insoliti.

In tract. de institut. novit. cap. 19.

Rara & insolita, qui est in religione, non debet querere: & labori ministrantium debet parcere. Hugo de sancto Victore, Alij noua quædam & insolita ciborum genera exquirunt: ita vt sæpe propter vnus hominis ventrem per omnes circumpagos turba famulorum discurrat. Hoc aliquando per rumorem elationis accidit. Qui enim appetunt aliis excellentiores esse in ieiunio suo, aliquid speciale volunt facere. Hieron. Sint tibi pura ieiunia, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere? Carica, piper, nuces, palmarum fructus: tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non vescamur pane. Idem. Audio præterea quosdam contra naturam rerum hominumq; aquam non bibere, nec vesci pane: sed sorbitiunculas delicatas & contrita olera. Proh pudor, non erubescimus huiusmodi ineptiis, nec tædet superstitionis: insuper etiam famam

famam abstinentiæ in deliciis quærimus. Fortissimum ieiunium est aqua & panis: sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua viuimus, quasi publicum & commune ieiunium nõ putatur.

Sexta pars huius capituli, & dissuadetur ciborum studiosa preparatio.

Qui in religione est, non debet studiosè preparata appetere. Cibos enim studiosè & lautè præparare, est gladium sui hostis acuerè. *In tract. de institut. no. vit. cap. 19. à med.* Hugo de sancto Victore: Alij supersticiosi nimis in præparandis cibis studium adhibent, infinita decoctionũ & frixurarum, & condimentorum genera excogitantes: modò mollia, modò dura: modò frigida, modò calida: modò cocta aqua, modò assa: modò pipere, modò allio, modò cumino, modò sale condita: secundũ consuetudinem regnantium desiderantes. Bern. Quis dicere sufficit (vt cætera taceam) quod modis oua solaversantur & vexantur: quanto studio euertuntur, subuertuntur, liquantur, durantur? Et nunc quidem frixa, nunc assa: nunc mixtim, nunc separatim apponuntur. Vt quid autem hæc omnia, nisi vt soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum talis decoris apparere curatur, vt non minus aspectus quàm gustus delectetur. Et cum iam stomachus crebris ructibus sese repletum indicet, necdum tamen curiositas satiatur: sed dum oculi coloribus, & palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec saporès demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur,

In Apolog. ad Guilielmum abbatem in cap. Dicitur.